



PALAESTRA LATINA



SUMMARIUM

COROCOTTA, REX LATRONUM.

DE COMPARATIONIBUS APUD LATINOS MAXIME
USITATIS, (Jové)

HORATIUS ET VERGILIUS, (Espinosa)

MOLAE SUBTERRANEA, (Viator)

ALPA ET OMEGA, (Restrepo)

BIBLIOGRAPHIA, (Mir, Martija)

EXERCITATIONES SCHOLARES

COMPOSITIONES VERTENDAE.

Ordinarii atque Superiorum permissu

XXII COROCOTTA EJUSQUE SOCII LIBERTATEM
OBTINENT




OCRAVIUS Corocottae subridens: «alea grandis erat, inquit, sed recte mihi es confusus. Dic quid tibi debeam». «Servus sum, ait Corocotta, da mihi libertatem. Quin-

que milia sextertium promisiſi, jube mihi numerari, ego vero damna mercatorum, quos expliavi, resarciam». — «Liber esto; pecuniam habebis». — «Sine me unum amplius petere; da etiam veniam et libertatem sociis». Tunc Otavius exclamavit: — «Ohe! Magna petis!» Dein paulo momento poſt: «convenit! sed ea condicione ut tu tuique socii Italiam tutam reddatis latrones inſectando; res, credo, vobis facilis erit»: et subridens adjeicit: «facilior certe quam stultor isti Saginacii!» Tum ipsum nuntiatum est Sagacem advenisse et rogare ut cum Otavio conloqui sibi liceret. «Veniat!» — inquit Otavius—. Vix ingressus, sagax exclamavit: «omnia parata sunt, Otavi, ut antequam diem Corocotta ad te vindicus adducatur». Et Otavius cavillans: «parce labori, inquit et juvenem ostendens: «Ecce Corocotta, quem ab hoc ipso die Urbi et Italiae praeficio custodiendis». Sagax stupore percussus foras se proripuit.



EPILOGUS

EXPECTASNE jam, benevole lector, ut tibi enarrem quid evenerit? Facile ipse conjeceris. Aerumnis mutata est Corocottae indoles propter Auli magnanimitatem. Tulla felicem tandem egit senectutem. Terentilla vero Corocottae nupsit, qui quidem expleta spe quam Otavius conceperat, latronibus Italiam liberavit.



EXPLICIT



PALAESTR LATINA

MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

Pretium subnotationis annuae. solutione antelata, est 6 pesetarum in Hispania, 7 in America et Lusitania, 8 in reliquis civitatibus. Pretium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España

De comparationibus apud Latinos maxime usitatis

Quam sit commodum iis qui qualibet lingua uti indigent aut volunt certas nosse loquendi rationes in ea magis adhibitae, nemo est quin videat. Quare nobis gratos fore credimus omnes fere PALAESTRAE LATINAE lectores qui linguam Latinam possidere conantur, si eis ostendimus quibus comparationibus crebrius uterentur veteres ut virtutes rerum sive bonas sive malas exaggerarent. Ut eam rationem praetermittam, quae sumitur ab ipsa re quotiens verbi causa hominem scelestum *scelus* appellamus, dedecorum *dedecus*, pestilentem *pestem*, lurconem *barathrum*, tenebrionem *tenebras*, contaminatum *labem*, spurcum *caenum*, contemptum *quisquilias*, impurum *sterquilinum*, portentosum *portentum*, molestum *ulcus*, carcere dignum *carcerem* et eam aliam per quam talem rem cum ipsa re abstracte sumpta comparatur ut: ipsa caecitate caecior, ipsa deformitate deformior, ipsa infantia infantior, ipsa infortunitate infortunatior, ipsa loquacitate loquacior, ipsa nequitia nequior, ipsa paupertate pauperior, ipsa siti siticulosior; ad eas comparationes venio quae in rerum similitudine nituntur. Ut autem facile quis eas recolere pro oportunitate valeat literarum ordine digeram hoc modo:

A) *Comparationes cum rebus inanimis:*

Aestuantiore Aetna.

Capacior barathro.

Amarior Sardois herbis.

Carior oculis.

Antiquior vita.

Clariore sole.

Bibacior spongia.

Distortior spina.

Candidior nive.

Dulcior melle.

Durior cote.
 Fragilior vitro.
 Gracilior Clematide Aegyptiaca
 Incontinentior dolio pertusso.
 Instabilior cothurno vel vento.
 Insultior beta.
 Involutior labyrintho.
 Iracundior Adria.
 Justior trutina.
 Levior pluma vel subere.
 Licentiosior floralibus.
 Loquacior aere Dodonaeo.
 Mobilior Euripo.
 Molestior crambe recocta.
 Mollior infima auricula.
 Nigrior pice.
 Odiosior morte.
 Pallidior buxo.
 Perlucentior lucerna.
 Pestilentior Clepsydra

Praefractor rubo arefacto,
 Procerior alno.
 Pulcrior sidere.
 Purior auro vel clavo vel fonte.
 Sanior pisce.
 Siccior pumice,
 Sitentior harenis.
 Somniculosior glire.
 Stolidior asello.
 Stupidior plumbo.
 Tardior limace vel testudine.
 Tardior stipite.
 Timidior lepore.
 Tranquillior oleo.
 Vanior ampulla.
 Vilior alga vel corchoro.
 Virulentior vipera.
 Vivacior hirundine.
 Vocalior luscinia.
 Volubilior pila.

B) *Comparationes cum rebus animatis:*

Annosior cornice.
 Asperior echino.
 Bibacior cervo.
 Edacior vulture.
 Fraudulentior vulpe.
 Hispidior urso.
 Immitior hydra.
 Improbior scorpio.
 Indoctior sue.

Libidinosior hirco.
 Levior tipula.
 Loquacior muliere.
 Lubricior anguilla.
 Nocentior dipsade.
 Pavidior dama.
 Rarior corvo albo, cygno nigro vel
 phoenice.
 Rixosior cane.

C) *Comparationes cum personis deorum, historiarum, comoedia-
 rum, fabularum:*

Caecior Tiresia.
 Constantior Fabio.
 Crudelior Atreo.
 Dittior Croeso.
 Dolosior Ulisse.
 Facundior Mercurio vel Nestore.
 Formosior Venere.
 Humanior Charitibus.
 Immanior Cyclope.
 Inconstantior Vertumno.
 Ingeniosior Daedalo.
 Insanior Oreste.

Involutior Sphinge.
 Mendacior Cretensi.
 Mordacior Momo.
 Mutabilior Proteo.
 Nequior Sardanapolo.
 Numatior Crasso
 Perfidior Poeno
 Perspicacior Lynceo.
 Severior Catone.
 Sitentior Tantalo.
 Stupidior Glauco.

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

Horatius et Vergilius

EPODUS XVI ET ECLOGA IV

Cum duo in litteris Latinis servata sint poemata, quae patenti quodam tam verborum quam sententiarum vinculo sibi respondeant, eademque duobus viris adscribantur qui, cum Romanae poeseos exstent facile principes, mutua etiam amicitiae societate vixerunt conjunctissimi, pronum erat ut horum poematum collatio oriretur quasi sponte, multiplicesque a collatione hac ortae quaestiones inter pulcrarum artium cultores exagitantur.

Meum erit in hac qualicumque commentatione, —posita accurata utriusque poematis cognitione—, ea in primis attingere quae historici in hac materia disputant, dein quae communitatis signa in utroque poemate reperiantur enumerare, quid iis colligatur tandem investigare, ut inter duos poetas uter utri exemplum praebuerit, si fieri possit, definiatur, sin minus emergat saltem fructus aliquis pro intimiore utriusque vatis cognitione.

I

Ab historicis exordium sumamus. Non enim poeseos tantum studiosi in comparanda IV Ecloga Vergiliana cum XVI Epodo Horatiana vires ingenii acumen contulerunt; diem poetis dicunt eosque de tribunali suo citari jubent, qui poeseos jurium immemores, ea quae et divino quodam adflatu et ad sublimiorem delectationem prolata sunt, pro nudis historicis argumentis, non secus atque inscriptos lapides aut bustorum titulos, historica severitate momento suo ponderant.

Istud historicorum genus —quae maxima turba est— contenti sunt si ex utriusque poematis collatione tempus certum inferant quo unumquodque scriptum est, unde et eventus possint definire in quos poetarum dicta cadere videantur.

Sed proprii juris exagitati ultrix calida poesis historicos in pugnam caecorum adducit, in qua doctissime se mutuo

conficiunt. Quis vero non miretur quod hi qui subtilitatem prae ceteris jactant, et accuratissimi in rebus certo dignoscendis esse adfectant, nulla fere in re quae duo haec poemata respiciat convenire possint?

Nam ut Eclogam primum attingamus, quaere ab illis quo tempore condita fuerit. Obvia responsio videtur: in ea enim Vergilius, versibus 3 et 11, Polliionem consulem compellat; Pollio autem, in triumvirorum pactione, anno 43, in insula Lavini sancita,¹ consul designatus erat ad annum 40 cum Cn. Domitio Calvino.

Sed inde exurgit difficultas quod isti consules, summos honores non legitima consuetudine a comitiis nati, adeo triumvirorum beneplacito subiecti erant, ut nec dignitatem die debito inire possent, nec eam ad finem usque anni retinere. Constat sane Polliionem anno 40, consulem fuisse, sed per menses duos tantum,

(1) Cf. Appianum, B. C. IV, 2, 4.

forsan nec integros, nimirum ab ineunte Octobri, paulo post factam Brundusinam pacem, usque ad finem Novembris; tumultu enim excitato in Ludis plebeis, novi consules, P. Canidius et Cn. Cornelius Balbus Hispanus, pro uno mense Decembri suffecti sunt.¹

Quando igitur oblata Pollioni Ecloga? Utrum ineunte Januario, tempore consueto ad magistratum auspicandum, an tum potius, cum illi tandem per triumviros, in concordiam Brundusi reductos, procrastinatos honores capessere licuit? Alterum inter alios adfirmant Norden,² Heidel,³ Weber,⁴ et Jeanmaire.⁵ Alterum Cartault,⁶ Carcopino,⁷ Herrmann,⁸ quibus adde Olivier,⁹ Lagrange,¹⁰ et eos omnes qui putant Ecloga IV, non tam Pollionis consulatum, quam Brundusinam pacem concelebrari.

Nec minor dissentio reperitur si occasio quaeratur quae Horatium in desperationem impulerit, quae totum Epodum XVI manifeste pervadit. Perusini belli terrores ibidem referri placet tum

Jeanmaire,¹¹ tum Carcopino,¹² et etiam Kiesling¹³ et Brakman.¹⁴ Eos potius innui, qui, post caducam paucorumque mensium Brundusinam pacem, orti sunt ex retractatis armis contra Sexti Pompei classem, contendit Herrmann,¹⁵ et admittit ut possibile Carcopino.¹⁶

Si ex disputatione circa tempus quo Ecloga et Epodus confectae sunt ad rationem quae inter easdem intercedat fit transitus, apparet in hac opinionum varietate nihil certum statui posse. Ac re ipsa, quicumque Eclogam compositam putent sub fine 41, omnes eam priorem esse Epodo contendunt necesse est; non autem vicissim quicumque opus Vergilianum Brundusina pace excitatum censent ideo adfirmant id posterius Epodo fuisse: sic habet, exempli causa, Olivier,¹⁷ sed Herrman rem plane negat:¹⁸ sunt tandem qui decernant solis historicis argumentis nullatenus definiri posse utrum tandem poema prius existerit: ita aperte Carcopino,¹⁹ cui consonat Faider.²⁰

II

Et sane iis qui nonnisi historicis rationibus innituntur, nec quidquam praeter historicas evidencias quaerunt, satius est in hac ambiguitate consistere. Ii vero

qui Eclogam et Epodum ut poemata considerant necessitate quadam premuntur ut ulteriori inquisitioni insistant. Qui enim fieri potest ut, cum tam praeter so-

(1) Cf. Dion C. XLVIII, 32, 2.—(2) Die Geburt des Kindes, pp. 6-7, n. 4 (Leipzig, Teubner, 1931 - prima editio in lucem prodit anno 1924).—(3) Vergil's Messianic Expectations. The American Journal of Philology, Vol. XLV, 3, pp. 213-214. Jul.-Sept. 1924.—(4) Der Prophet und sein Gott, p. 11 (Leipzig, Hinrichs, 1925).—(5) Le messianisme de Virgile, pp. 42-43, 55 (Paris, Vrin, 1930).—(6) Etudes sur les Bucoliques de Virgile, pp. 57, 213 (Paris, Collin, 1897).—(7) Virgile et le mystère de la IV Eclogue, 123-125, 133 (Paris, L'artisan du livre, 1930).—(8) Les masques et les visages dans les Bucoliques de Virgile, pp. 97-98 (Bruxelles, Editions de la Revue de l'Université de Bruxelles, 1930).—(9) Les Epodes d'Horace, p. 76 (Lausanne, Payot, 1927).—(10) Le Messianisme de Virgile. Le Correspondant, 101 année, n. 1704, p. 852 n., 25 Sept. 1933.—(11) Op. laud. p. 65.—(12) Op. laud., p. 108.—(13) Q. Horatius Flaccus, 5 Ed. ad Epod. XVI (Berlin, Weidmann, 1908).—(14) Ad Vergilii Eclogam Quartam. Mnemosyne, N. S. Vol. LIV, p. 18, 1926.—(15) Op. laud., pp. 97-98.—(16) Op. laud., p. 71 n. - Quaestionem reliquit etiam ambiguum T. E. Page, Q. Horatii Flacci Carminum Libri IV. Epodon Liber, pp. 492, 480 (London, Macmillan, 1920). In sententia quam Louis E. Lord refert ut probabilem, scilicet Epodum XVI pertinere ad annum 42, immorandum esse non existimavi, cum non videam unde comprobari possit. Cf. Horace as an Occasional Poet. The Classical Journal, Vol. XXXI, 3, p. 154, December 1935.—(17) Op. laud., p. 78.—(18) Op. laud., p. 97.—(19) Op. laud., p. 109.—(20) La IV Eclogue et la méthode historique. Revue Belge de Philologie et d'Histoire, Tome IX, 3, p. 797 1930.

litum cohaereant duo poetae ceteroqui perpetuo inter se dissimiles, non curiosius rem peruestigemus?

Neque enim agitur de vulgari quodam sententiarum aut etiam verborum concursu, quem prudens quisque fortui-

*Ipsae lacte domum referent distenta capellae
ubera, nec magnos metuent armenta leones,*

(Ecl. IV, 21-22)

Horatium vero:

*Illic injussae veniunt ad mulctra capellae
refertque tenta grex amicus ubera...*

Credula nec rivos timeant armenta leones,

(Ep. XVI, 49-50, 33)

quomodo evidentia coactus patenter utriusve imitationem non conclamabis?

Suspicietur quispiam a communi quodam fonte poetam utrumque forsancum derivasse; sed plane sciendum est hunc communem fontem conquisitum, ut par est, diligentissime, nec inventum. Restat igitur ut alteruter ab altero mutuatus sit.

Ep. 43 *Reddit ubi cererem tellus inarata quotannis.*

Ecl. 39, 41 *... omnis feret omnia tellus,*

robustus quoque jam tauris juga solvet arator.

Ep. 44 *Et imputata floret usque vinea.*

Ecl. 29 *Incultisque rubens pendebit sentibus uva.*

Ep. 47 *Mella cava manant ex ilice...*

Ecl. 30 *Et durae quercus sudabunt roscida mella.*

Ep. 52 *Neque intumescit alta viperis humus.*

Ecl. 24 *Occidet et serpens...*

Ep. 57 *Non hunc Argo contendit remige pinus.*

Ecl. 34-35 *... et altera quae vehat Argo / delectos heroas...*

38 *Nec nautica pinus...*

Quis etiam conferat versum I Epodi cum 4 Eclogae (qui primus quoque posset dici carminis post breve prooemium),

Alteram jam teritur bellis civilibus aetas...

Ultima Cumaei venit jam carminis aetas...

tum pronuntiaverit, sed de, inusitata prorsus consensione, quae Venusinum inter et Mantuanum in miraculo esse videatur.

Praceat exemplum omnium sane nobilissimum. Cum Vergilium audias:

At quo melius momentum controversiae persentiat, juvat similitudines utriusque poematis ita conferre ut proximitate magis splendescere et valere possint.

Sunt in primis nonnulla, quae vel prima facie omnibus perspicuam cognitionem revelent. Sic, praeter versus 21-22 Eclogae et 49-50 cum 33 Epodi quos supra contulimus, habes:

et non statim animadvertat eos, quantumvis sensu oppositos, sibi mutuo consonare?

Sed plura sunt. Versibus 24 Eclogae in re plane diversa ejusdem, nec vulgare et 45 Epodi, sese objicit miranda satis ris, epitheti repetitio:

. . . et fallax herba veneni / occidet.

Germinat et numquam fallentis termes olivae.

Contra, liberius quod ad verba, respondent sibi tamen sententiae in postremis his duobus exemplis:

Ep. 44 *Et imputata floret usque vinea.*
Ecl. 40 (Non rastros patietur humus), non vinea falcem.

Ep. 64 *...Ut inquinavit aere tempus aureum.*
Ecl. 8-9 . . . (puero), quo ferrea primum
desinet, ac toto surget gens aurea mundo.

Tot concursiones sententiarum et verborum inter duo poemata, quae eodem ferme tempore circa eandem materiam, salutem scilicet publicam instaurandam, consilio tamen aperte opposito conscripta sunt, quis serio fortuitas esse dixerit?

In necessario igitur vinculo explicando, quod inter duos poetas intercedit, si audias Skutsch,¹ Kukula,² Kroll,³ Olivier,⁴ Lagrange,⁵ prior Horatius est; si Brakman,⁶ Witte,⁷ Jeanmaire,⁸ Funaioli,⁹ Vergilius.

Fatendum tamen est allata esse saepius a philologis in hac controversia argumenta indigna sane quae a viris gra-

vioribus proferantur. Quis enim non admirans audiat Skutsch¹⁰ contententem se praecise comprobasse priorem sine dubio Horatium fuisse, propterea quod ipsius versus *nec rastos timeant armenta leones oriri non potuerit ex Vergiliano nec magnos metuent armenta leones*, nam Horatius, inquit, subjunctivos usurpans, adhibere potuisset libere *metuant aut timeant*, Vergilius autem qui indicativis futuris egebat coactus est mutare *timebunt in metuent*? Quod argumentum Herrmann¹¹ responsione non inficeta retundit. Comparans enim versus 21 et 22 Eclogae:

ipsae lacte domum referent distenta capellae
ubera

cum 33 et 34 Epodi:

*illic injussae veniunt ad mulctra capellae
refertque tenta grex amicus ubera,*

arguit Horatium in senario iambico puro non potuisse adhibere *distenta* (ut alibi: I Sat. 1, 115 et Epod. 2, 46), Vergillum autem potuisse in hexametro aut *tenta*

aut *distenta*; Horatium insuper alium locum non habuisse pro voce *ubera* nisi finem senarii, Vergillum pro lubitu aut finem fere aut initium hexametri.

(1) Sechzehnte Epode und vierte Ekloge. Neue Jahrbücher, XXIII, pp. 28-35, 1909.—(2) Römische Säkularpoesie. Neue Studien zu Horaz XVI. Epodus und Vergils IV. Ekloge (Leipzig, Teubner, 1911).—(3) Horazens 16 Epode und Vergil's Bukolica. Hermes, LVIII, pp. 600-622, 1922.—(4) Op. laud. pp. 75-95.—(5) Op. laud. pp. 847-848.—(6) Op. laud. pp. 16-18.—(7) Vergils IV Ekloge. Wiener Studien zu Klass. Philol. pp. 1075-1080, 1923.—Horazens Sechzehnte Epode und Vergil's Bukolica. Philolog. Wochenchrift, pp. 1695-1703, 1921.—(8) Op. laud. pp. 62-93.—(9) Ancora la IV egloga di Virgilio e il XVI epodo di Orazio. Le Musée Belge, XXXIV année, nn. 1-6, pp. 55-58, 1930.—(10) Loco laud.—(11) Op. laud. pp. 69-70.

Nugatoria sunt haec, nec quidquam ex di&is suppetit quod ad antecessorem utriusvis poematis dijudicandam inserviat.

Non magis proficiunt qui, potius defendendae suae sententiae intenti quam perpendendis pro meritis poematibus, Epodum Horatianam vel extollunt plus justo vel plus aequo deprimunt.

Cum enim Olivier, qui putat Horatium et praevisse Vergilio et dignum fuisse quem Vergilius imitaretur, exaggerat Epodum carmen esse undequaque fere perfectum, quodque inter omnes Epodos unanimi consensu supereminet, ¹ facile ipsi respondebis cum Jeanmaire ² in eo non deesse signa quae nascentem poetam, ut Vergiliano verbo, integrumque discipulum, ut Tulliano utar, satis clare prodant: quod, exempli causa, rhetoricis artificii nimium indulserit, si-

*Barbarus heul cineres insistet victor, et Urbem
eques sonante verberabit ungula!* (11-12)

aut quid quod aures blandius mulceat quam:

*Nos manet Oceanus circumvagus; arva, beata
petamus arva, divites et insulas...?* (41-42)

Et senarius ille:

*...montibus altis
levis crepante lympha desilit pede* (47-48)

nuntius est alcaicorum jure celebratorum:

*Quid obliquo laborat
lympha fugax trepidare rivo?* (II Carm, 3, 11-12)

Si quis igitur solam Eclogam IV cum sola Epodo XVI comparet, nihil ad utriusvis causam inclinatus, fatendum ipsi erit dignosci non posse utrum poema tempore praestiterit.

Non tamen omnes partes versaverit hujus quaestionis qui iis quae hucusque adducta sunt sit contentus: implicatio enim non minima inde oritur quod non

milia plura congererit, eruditionis ostentationem expanderit, eloquentiam cum poesi imperitius miscuerit. Sed modum etiam excedit in sua reprehensione Jeanmaire, cui prodest ostendere Vergilianum carmen ab Horatio pendere non posse.

Etenim iniquum esset eam ab Horatio exigere perfectionem quam omnes agnoscunt in Ecloga Vergiliana, cum Epodus XVI, si minus primum omnino tentamen, at saltem inter prima tentamina Horatiana recensendum sit. Nondum videtur eam perfectam nitidamque brevitate assecutum, quam in Horatio lyrico ubique reperimus, at non desunt ea quae Horatium inter lyricos omnium temporum regnantem jam clare promittant.

Quid, ut exemplum proferam, validiore deinceps impetu scripsit Venusinus quam:

in Ecloga IV tantum, sed in aliis etiam Eclogis Vergilianis non pauca reperiantur quae Epodum Horatianam redolere videantur, nimirum in I, II, III, V et VIII; quarum cum aliae certo antiquiores sint Epodo, aliae aut certo aut saltem dubie seriores, magis magisque incerta fit quaestio de mutuo influxu.

Magnum sane argumentum esset pro antecessione Vergiliana, si demonstrari

(1) Op. laud. p. 93.—(2) Op. laud. pp. 77-78.

posset Epodum pendere ab Eclogis II, III et V, quae, fatentibus omnibus, tempore sine dubio praeiverunt. —Sed loci, qui ex ipsis proponuntur ut similes, ni-

Ep. 44 *Et imputata floret usque vinea*
Ecl. II, 70 *Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est.*

Ep. 47 *Mella cava manant ex ilice*
Ecl. III, 89 *Mella fluant illi, ferat et rubus asper amonum,*
(Adde Ecl. IX, 15 ...ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix,)

Ep. 51 *Nec vespertinus circumegit ursus ovile*
Ecl. V, 60-61 *Nec lupus insidias pecori, nec retia cervis*
ulla dolum meditantur.

Quid autem arguere licebit ex loco qui satis similis videtur in Ecloga VIII? Hanc enim constat posteriorem esse consulatui Pollionis et adscribi debere anno 39. Si vero locus Eclogae VIII vere pendet ab Epodo, tum cogaris dicere, saltem ibi, Vergilium secutum esse Hora-

Ep. 30-33 *Novaque monstra junxerit libidine*
mirus amor, juvet ut tigres subsidere cervis,
adulteretur et columba milvo.

Ecl. VIII, 27-28 *Jungentur jam grypes equis, aevoque sequenti*
cum canibus timidi venient ad pocula dammae.

Accuratius perpendenda est Ecloga I, ex qua dignos collatione locos et plures invenire potes et significantiores.

Si comparas versus 9 et 11 Epodi

Impius haec tam culta novalia miles habebit,
barbarus has segetes!

et Horatius:

... impia perdemus devoti sanguinis aetas,...
barbarus beul cineres insultet victor!...

Aliud propinquitatis genus, sonorum nempe, intercedit inter versum 34 Epodi

ametque salsa levis bircus aequora...
ante leves ergo pascentur in aequore cervi...

(Adverte tamen in versu Vergiliano pro aequore aliam esse lectionem, forte praeferendam: *aethere*).

hil amplius prae se ferunt quam ea quae casu utriusque poetae de re simili agenti occurrere potuerunt. Sic:

tianam musam. —Sed nec hic res confici videtur, quandoquidem similitudo facile derivari potuit ex communi quodam fonte, qui sane deesse non potuit inter tot Alexandrinorum *ἀδύνατα*.

Locus est:

cum 70 et 71 Eclogae, fieri non potest quin sentias communionem non tam verborum quam rhythmici. Exclamat enim Vergilius.

et Eclogae; quamquam *lēvis* et *lēves* sunt voces origine et sensu omnino diversae:

Similitudo iterum, tenuior sane nec tamen despicienda reperitur inter Ep. 46 et Ecl. 39:

*suamque pulla ficus ornat arborem...
cui pendere sua patereris in arbore poma...*

Montibus altis claudit hexametrum
47 Epodi et 83 Eclogae.

Tandem communitas evidentissima
elucet inter Epodum versu 61 et Eclo-
gam versu 50:

*Nulla nocent pecori contagia...
Nec mala vicini pecoris contagia laedent.*

Quid deest ut vel hinc res tota con-
ficiatur? Unum tantum: consensum esse
inter auctores circa tempus compositioni
Eclogae I adsignandum. At vero consen-
sus nullus est; sed acriter disputant, alii
pro anno 41 vel 40, alii pro 39. Argu-
menta pro 39 (quod antecessioni Hora-
tiana favet) dabit Cartault,¹ pro 40
(quod Vergilianae), Jeanmaire.²

Ad summam, unum, quantumvis mo-
lestum, retinendum videtur: rationes qui-
bus certo constat uter vates ab altero

pendeat, nec historicis suppetere nec phi-
lologis, cum illi plura adfirmare nequeant
quam quae scriptis monumentis servata
sunt, isti vero nihil ad confirmandam ve-
ritatem subtilitatibus ac conjecturis pro-
ficiant.

Noli tamen totam hanc inquisitio-
nem supervacaneam arbitrari: in studiis
enim litterarum in lucro non id tantum
adponitur quod rebus certis et exploratis
eruat, sed et id quod, cum probari ne-
queat, persentiri tamen potest.

III

Restat igitur ut, etiam si spes certo
definiendi utrum Vergilius ab Horatio
an Horatius a Vergilio mutuatus sit, no-
bis sit tandem deponenda, duplicem tam-
en utilitatem ex disputatis arripere li-
ceat; et quod indicium saltem veritatis in
quaestione inenodabili non frustra omni-
no aucupemur, et quod ex comparatione
utriusque poetae in pleniorum lucem
erumpat quid in suo cujusque carmine
proprio ingenio potissimum respondeat.

Congeram adhuc, ut nihil intentatum
maneant, tria quae a defensoribus ante-
cessionis Vergilianae, non tam ex philo-
logicis quam ex aetheticis rationibus
urgeri possent. Pone, inquit, carmen
utrumque ante iudices qui utriusque poe-
tae non verba tantum, sed naturam etiam

ingeniumque persentire possint; quare
ab illis uter versari videatur, ut ita di-
camus, in suo, uter in alieno. (Sunt enim
loci in quibus ambo materiam commu-
nem ita libere ingenueque tractant, ut
proprium modum, sine ullo mutuo influ-
xu, ambo evidentissimum servant: confer-
sis, Horatianum carmen 2 Libri I, prae-
sertim a versu 21 ad quem, cum postre-
mis versibus Libri I Georgicon a 489).
At de quindecim supra numeratis locis
Epodi XVI, pro quibus loci similes in
diversis Eclogis reperiuntur, dicat peri-
tus quivis utriusvis ingenii videantur
propiores, utrum magis eum Horatium
sapiant, quem ex aliis Epodis, Sermoni-
bus, Carminibus, Epistolis novimus, an
eum Vergilium, qui genus «*molle et fa-
cile*» cantus Bucolici proprium poemati

(1) Op. laud. pp. 59-69. — (2) Op. laud. pp. 65-70

didascalico immo et epico naturae ductu immiscuit. Sane fatebitur Vergilium versari in suo, Horatium potius in alieno.

Cujus argumenti vim adhuc urgere temptant, proposita hac secunda quaestione: utrius poetae plura sint influxus signa in operibus alterius. Porro imitationes derivatas ex Horatio, dicent, nec multas in Vergilio, nec conspicuas reperies, nec praesertim tales quae indolem Horatianam —quod caput esset— referant. Contra in Horatio, etiamsi ex solis decem Eclogis Vergilianas imitationes perquiras, insperatam prorsus copiam scatere miraberis, plus scilicet quam 60, ut ex adnotationibus in editione Bucolicorum Calori Hosius comprobare potes.¹

Tertio, et in hoc triumphant, si utrumque carmen proprio suo momento penses, consentire cogeris Brakman adfirmanti «vi, gravitate, altitudine carminis bucollici epodum longe superari», item cum addit: «Epodus illa, quamvis sit egregia a re metrica, pertinet ad genus, quod nos dicimus, Utopiae». ² Quo argumento finem se putat disceptationi imposuisse et libere concludit: «Num igitur verisimile est Horatium Vergilio fuisse exemplo?»

At vero in immaturam sequelam, eandemque argumento validiorem invasisse eum dixerim. Tria enim proposita argumenta multiplici responsioni obnoxia sunt.

Nam, ut de primo primum dicam, si quis confidentius contendit in locis disputatis potius Vergilium versari in suo, Horatium in alieno, non injuria defensor Horatii respondeat talia iudicia saepe a proprio cuiusvis sensu nimium pendere; ceterum nec mirandum esse si primis

suis operibus adhuc propriam viam Horatius temptet, et bucolicis leporibus, quos in tot Graecis exemplaribus reperiebat, adlectus appareat.

Nec pluris faciendum censeo argumentum ex multitudine locorum Horatii qui redolent Eclogas desumptum. Probandum enim esset Horatium, non tam unum alterumve verbum a Vergilio mutuatum esse, quam ejus propriam et quasi naturalem notam, quod nemo sanus unquam somniavit.

Argumentum tandem a Brakman propositum multo certe efficacius videtur; immo adeo efficax, ut ingenue cogitanti fieri non possit quin absonum videatur Eclogam IV, tantum opus, tantique momenti ut per saecula homines mira quadam voluptate et quari stupore adfecerit, pendere ab alio carmine sibi plane inferiore. Ad hanc difficultatem unum respondebo: eam objici ab eo tantum posse, qui aut ignoret aut memoria non teneat quod in primis mirandum est in indole Vergiliana, quodque ejus sublimis ingenium maximopere commendat.

Sollemne enim in eo est ut, arrepta undecumque mentis concitatione et afflatu, non a visione solum naturae ac proprii animi sensu, sed etiam non raro ab alienis scriptis, id quod ita arripuit tam potenti vi sibi jungat et in rem propriam vertat, ut saepe iis etiam sublimioribus partibus in quibus alis se levare et ad excelsa sublatus, altissima quaeque attingere videtur, locus alienus designari possit unde certo manaverint, isque qui tantae imitationis aliquando indignus omnino appareat.

AURELIUS ESPINOSA PÓLIT, S. J.
(sequar)

(1) P. Vergil Maronis Bucolica cum auctoribus et imitatoribus (Bonn, Weber, 1915).—(2) Op. laud. 17.

Molae Subterraneae

NUMIDA. — Cornix oculos non effodit cornici.

SATURNIUS. — (*superbia laesa dicit*) Probus est nobis inimicissimus, cuius audaciae nos paenitebit. Tunc amas dominum tuum?

NUMIDA. — Ego? Nequaquam. Odi eum ego non minus quam tu; ego solus, quanquam ceteris libertatem donarat, particeps factus non sum hujus doni.

SATURNIUS. — Exoptasne ergo libertatem?

NUMIDA. — Exopto millies millies.

SATURNIUS. — Si ego ipse tibi donarem et insuper grandem pecuniam?

NUMIDA. — Per omnes deos Olympi! Ego aliquando liber... Loquere statim!...

SATURNIUS. — Hodie adhuc servus, tu ipse die quodam futuro possessor fieri poteris palatiorum ac servorum.

NUMIDA. — Jocariss... Num haec somnia, has opiniones vanas in animo mihi fingere licet? Morerer beatitudine praegrandi. Minime vero! Ne nimis caleferis cerebrum meum! Loquere, dic, quid sentias; totam vitam commendo ac trado manibus tuis.

SATURNIUS. — Et si praemium hujus muneris nihil aliud esset atque ut auxilium praeberes ad filium superbissimi domini tui clam et vi abripiendum?

NUMIDA. — Monstra modo rationem agendi, ne deprehendar neve puniar, jam videbis me dignum esse praemiis a te mihi promissis.

SATURNIUS. — Euge, Numida; animo esto constanti, tunc...

NUMIDA. — Ne quid timueris!... Sed quando?

SATURNIUS. — Signum a me datum expectabis, Sed Imperatoris comites abiere. Periclitamur, ne famuli nos hic inveniant necopinatos. Conveniamus primo vespere hujus diei in forum contra templum Jovis! (*appropinquat ad portam sed reversus dat signum tacendi*). Tace, Numida! Memento opum et libertatis! (*abit*).

SCAENA UNDECIMA

NUMIDA. — (*solus*) Opes et libertas! In venis meis ardet ignis quidam devorans! Manifesta animum et calliditatem! Discessere tempora servitutis meae tristia! Divitias desidero ac libertatem. (*Aulaeum premiur*).

ACTUS SECUNDUS

(*atrium adiacens templo Jovis*)

SCAENA PRIMA

(*Scaena est vacua; e longinquo audiuntur cantus lugubres*)

- I Mitte fulmina
Urbi sulphurea,
Capitolini
Dei Romani!
- II Urbem et incolas,
Cunctos christicolas
Perdite, diri
Capitolini!
- III Frangite impia
Tela et agmina
Imperatoris
Saevi ultoris!

(*Cantu finito, ex templo interiore decem sacerdotes deorum cultores unus post alterum procedunt et taciti utrinque consistunt in duobus ordinibus*).

SCAENA SECUNDA

SATURNIUS, OLYMPIUS, alique sacerdotes

SATURNIUS. — (*se confert in scaenam mediam et praesidet consilio*) Noctem nefastam! Sacrum omne infausto! Sacrum ritu religiosissimum observatum factum est... sanguis effusus... invocavimus numen Romanum. Ob oculos adhuc mihi versatur larva illa terribilis et horrida veste lugubri induta Nonne excepistis vocem illam plenam tristitiae ac lamentationis?... Hora ultima!

OMNES. — (*vocibus tenuis*) Exscrandum!

SATURNIUS. — Ergo vestra et mea ipsius auctoritas antiqua evanescet? (*Murmur ac fremitus sacerdotum*) Extinguetur nostra ipsorum pristina majestas? (*Murmur ac fremitus sacerdotum*). Cum essem amicissimus Juliano illi, in omnes res animi ejus occultas impenetrabam. Mei inimici fiebant inimici Imperatoris, Horrori eram Galilaeis istis, quorum offensiones ultor pensabam flagellis, rogis, crucibus, templa diruebam, domus tradebam flammis; quos si fugerent lucem, persequerbar tenebris noctium; captabam eos in terra interiore et vexabam furore et ira inflammatus. Constantini opus destructum esse videbatur, Galilaeus iste devictus, prostratus, contritus, (SACERDOTES: macte tibi!) Et nos Romani honorati et catervis plorum stipati cultum Romae antiquae renovabamus et ad Victoriae aram in senatu erectam pares diis patriae fidem iterum jurabant. (SACERDOTES: «macte nobis»). Neque vero quisquam nobis adversarius facies nostras conspiceret audebat, quin contremisceret.

OLYMPIUS. — Quam magnificas recordationes! Vae! triumphus erat diei unius!

SATURNIUS. — Recte dixisti! Recordationes temporis nimis exigui! Cecidit Julianus et una cum illo deleta est iterum Victoriae ara, jubente Gratiano, qui agris templorum nostrorum reipublicae assignatis redditus, privilegia jura nobis ademit, (SACERDOTES: «vae nobis»). Et nunc, nunc, o acerbissimum illud! Theodosius omnia Orientis templa diruit, deos nostros et mysteria nostra Christianis dedit ludibrio; petitiones nostras repudiat, in pectore inclusum tenet, qualis sors nobis accidat. (SACERDOTES: «pro dolor!») Si Maximus potitus esset victoris apud Aquileam, aurora redemptionis nobis affulsisset, ast decessit et spes nostra evanuit. O fortunam dirissimam! (*Sacerdotes edunt murmur et fremitum*).

OLYMPIUS. — Nonne conari poterimus celerem impetum instituere; milites pe-

cunia corrumpere et seducere ad seditionem, id quod contigit centies.

SATURNIUS. — Exercitus mirum in modum studiis ardet Imperatoris.

OLYMPIUS. — Et senatus?

SATURNIUS. — In senatu sunt Anicii, Gracchi, Probus, qui ipse Victoriae aram unquam denuo aedificatum iri aperte negat.

OLYMPIUS. — Quid vero nunc faciendum?

SATURNIUS. — Necessitate extrema requiritur res ultima. A daemionibus compellor, armis odii ac vindictae instructor. Vultisne jurare maximam taciturnitatem vos observaturos omnium rerum, quas vobiscum communicarim?

OMNES. — (*vocibus deminutionibus*) Juramus!

SATURNIUS. — Jurabitisne obsequium unius diei et omnium rerum, quas exequi a me jussi eritis?

OMNES. — Juramus!

SATURNIUS. — Belle! Consilium meum audite! Filio Probi clam deducto a patre postulabimus, ut aram Victoriae erigat et reddat templorum redditus. Probum, si noluerit, ulciscemur filio occiso.

OMNES. — (*vocibus tenuioribus; pollices premunt*). Galilaei moriantur!

SATURNIUS. — Moriantur execrandi! Sed advesperascit. Agitandum; operamini, fortissimi viri! Vestrum (*ad sacerdotes, qui sunt a dextra*) erit minaces spargere rumores; ante lucem in Urbem divulgentur sexcenti libelli, quibus populus excitetur ad seditionem movendam; palatiis patrum Christicolarum affigantur litterae ultionem minitantes. (*Sacerdotes partis dextrae discedunt. Ad sacerdotes, qui sunt a laeva*). Vos penetrabitis domos populi nobis dedidi. Imperium perituum esse nuntiabitis, nisi Victoriae ara jam erecta esset; largi distribuetis nummos; magna vis populi tumultuarie cras circumdabit curiam. (*Sacerdotes abeunt; remanet solus Olympius*). Nescis, Olympi, cum nuperime ex Asia veneris, Romanos. Toga senatoria indutus offer te Probi filio,

quem nomine patris ejus in palatium imperatoris invites. En codicillus, quem Theodosius patribus invitandis misit. (*dat ei membranam*). Accepi membranam a scriba quodam, qui est a parte nostra. Paucis momentis temporum elapsis audies horam, locum, modum agendi. (*Olympius abit*) Vincamne? Tutamini, omnes inferorum daemones, ministerium vestrum!

SCAENA TERTIA

METRANUS et SATURNIUS

METRANUS. — (*Caute intrat*) Tune es?

SATURNIUS. — Accede propius!

METRANUS. — Cur vocas me ad conloquium clandestinum hora ulularum?

SATURNIUS. — Num recordaris, quo foedere sanguineo inter nos simus conjuncti?

METRANUS. — Recordor.

SATURNIUS. — Nonne ignoras arcam tuam nummis unquam fuisse vacuam, cum adjuvisses me inimicos meos ulturum?

METRANUS. — Non jamne tibi sum fidelis? Nonne servi mei praesto sunt ad tuum nutum? Sed cur haec quaestio? Cur in facie tua confusio ac turbatio?

SATURNIUS. — Contremisco cogitans, qualis futurus sit exitus disceptationis cras habendae in senatu.

METRANUS. — Quidnam tua interest, plures arae adsint an minores?

SATURNIUS. — Victoria potiundum erit de Christianis nefastis. Nostra templa vasta exstant ac deserta, festa nostra tradita oblivioni.

METRANUS. — Apage! Non est lamentandum! Mea una dea est pecunia.

SATURNIUS. — Sed si tibi non est cura irae Jovis et deum omnium, at certe deminuta sunt vel desierunt populi pii dona, quorum thesauri quondam erant immensi et nisi ex fisco pecuniae satis amplae ad sumptus sacrorum solvendo penderentur, patribus senatoriis manus obtendere cogemur, ut stipes ac conlationes miseri emendicemus.

METRANUS. — Si viri rempublicam admi-

nistrantes vobis provident, cur tantos timores?

SATURNIUS. — Mira pertinacia divulgatur fama Imperatorem fiscum nobis occlusurum.

METRANUS. — Aha! Nunc intellego... Nunc res fit seria. (*secum loquitur*) Non jamne ab eo pecuniam recipiam? (*voce clara*) Et thesauri in cellis concameratis templorum vestrorum absconditi?

SATURNIUS. — Thesauri? Tu ignoras, quam grandi pecunia opus sit, ut reliquiae splendoris retineantur cultui deorum antiquo et ludis publicis homines incitemus ad intellegendam mentem vere Romanam. Salaris scriptorum librariorum ad divulgandos libros nostros in porticibus, bibliothecis publicis, domibus privatorum, amplis subsidiis quibusdam scholarum magistris persolvendis, ut animis discipulorum instillarent religionem Christi cruci fixi despicendam, pecuniis extraordinariis famulorum, ut in animis adolescentium nobilium libertatis desideria excitarent, devorantur pecuniae permagnae.

METRANUS. — (*secum loquitur*) Profecto, apud misellum istum nihil jam potero lucrari. Nihil jam negotii agi poterit cum isto. (*voce clara*) Ergo, sub rosa, inter amicos verene de pecunia laboras?

SATURNIUS. — Ego?... nequaquam! Mihi restat summula haud despicienda, qua resistemus fatu impendenti.

METRANUS. — (*secum loquitur*) Respiro. (*voce clara*) Et quid facies?

SATURNIUS. — Machinam audaciae plenam, in qua instituenda mihi fortiter poteris auxiliari.

METRANUS. — Ego? Num fieri poterit?... (*meditatur*) Quidnam erit lucrandum?

SATURNIUS. — Centum millia sestertium.

METRANUS. — Et quid amittendum?

SATURNIUS. — Nihil.

METRANUS. — Age, audiamus, num negotium mihi conveniat!

SATURNIUS. — (*voce tarda; defixis oculis eum intuetur*) Probi filium per paucas

horas in pistrinis tuis absconditum tenebis.

METRANUS. — Quid?

SATURNIUS. — Numida est in statione, id est in Probi palatio et ad me festinavit, ut mihi indicet, quando sit momentum opportunissimum. Olympius ad forum ducet puerum, quo servi tui ibi potluntor.

METRANUS. — Et si quando raptores repellantur?

SATURNIUS. — Prepauci et fidelissimi quidem conscii sunt consilii secreti. Num quis ex pistrinis tuis evasit?

METRANUS. — Nunquam vivus.

SATURNIUS. — Ergo pellantur timores isti inanes.

METRANUS. — Nonne prodet nos Numida?

SATURNIUS. — Fieri non poterit secundum promissa, quae ei dedi. Sed ad te mitam eum, ut pendam ei summam promissam neque tunc erit difficile...

METRANUS. — Do dextram, (*dat ei dextram*)

Sed ut verum dicam: Centum millia sestertium sunt pecunia nimis parca. Servi mei pistrinarij nunquam exeunt, famuli nunquam ineunt. Saltem duo viri erunt necessarii, qui puerum rapiant et deducant, et, consilio perfecto, his linguas comprimere opus erit nobis. At duo servi constant mihi duobus millibus sestertium; pendas igitur velim omnino centum viginti millia sestertium.

SATURNIUS. — Sit ita: centum viginti millia sestertium.

METRANUS. — Et quando pendantur?

SATURNIUS. — Simulatque puer fuerit in tua potestate.

METRANUS. — Bellissime! Spem in me conloca! Sed antea decorum erit, opus erit... (*porrigit dextram*).

SATURNIUS. — (*defixis sculis eum intuetur*) Quid vis?

METRANUS. — Nonne comprehendis? Usu mercatorio... requiritur arrha pacto acommodata.

SATURNIUS. — (*secum loquitur iratus*) Senem tenacem! (*voce clara*) Mihi confidas licebit.

METRANUS. — Tibine confidere? Temere confidam homini honesto sicut tibi. Sed quod pertinet ad negotationem...

SATURNIUS. — Accipe ergo. (*adjicit ei marsupium, quod Metranus ponit in sinu*) Et nunc tempore compulsi abeamus. (*abit. Metranus eum sequitur manus perfringens et caput revertens dicit laetus*):

METRANUS. — Opulentissimum negotium! Negotium optimissimum. (*abit*).

SCAENA QUARTA

(*Scaena mutatur. Forum, templum Jovis.*) Duo servi intrant et consistunt in scaena extrema. Tunc veniunt Probus et Valens et progrediuntur ad frontem scaenae. Quos sequitur Italicus dextra tenens volumen membraneum et consistit in parte scaenae extrema).

PROBUS, VALENS

VALENS. — (*intrans*) Hoc videtur esse templum Jovis.

PROBUS. — Sedes est atrocitatis et nefariorum criminum sicut alia omnia Urbis templa. Num in actis diurnis scriptum heri legisti, quas res horribiles in cellis cameratis templorum delektorum Orientis reperissent? Lamentandis illis reliquis hominum, qui inter cultum idolorum nocturnum victimarum instar trucidati erant, publice excitatione sunt in Urbe indignationes atque taedia immensa.

VALENS. — Putasne haec eadem fieri posse in hac ipsa Roma?

PROBUS. — Aegre arbitrari velim, sed venerator magna suspicione. Interdum ex oculis elabuntur pueri, qui, quanvis callidae sint magistratum indagationes, nunquam poterant reperiri neque quidquam audiebatur de eorum sorte. Ante mensem sub mediam noctem a latere templi Jovis substitit lectica, qua bajulatur saccus quidam.

(*sequar*)

ALPHA ET OMEGA

(Ad Excellentissimum D. D. Callistum Leiva Charry
Barranquillensem Antistitem)

*Nunc est canendum! Nunc veteri juvat
instare cantu! Caelice Spiritus,
ades clienti: tuque plestrum
redde, salix Babylonis amnis!*

*COR Legis Arcam, COR Superum decus,
et ALPHA, Princeps, cernis et OMEGA
quippe ordinem condens, avenes
dulce jugum imposuisse Christi...*

*Illum, Paterno munere praeditum,
REGNARE OPORTET! COR labarum erigis:
et Cujus ostentas amorem,
Imperium simulas CORONA.*

*Nec est timendum, dum pelago novam
committis audax naviculam truci,
insigne pacis cui renidet
STELLA MARIS rutilans Maria.*

*Regnare Christum: te, placidum jubar,
micare oportet! fulmine rumpere
erroris umbras, ac referre
nobile de Satana tropaeum...*

*Qui diva confers pectora Apostolis
Affla Parentem, Spiritus ignifer;
donisque fulgentem, sub alis
protege purpureis, Columbal...*

DANIEL RESTREPO, S. J.

Bibliographia

F. Heerdegen, J. Kaerst, R. Schoene.

— *Klassische Philologie, Teil I, Griechische und Lateinische Schriftsteller*, G. Fock.

In hoc opere invenies Catalogum librorum antiquorum praesertim, et recentium.

Ephemerides ac libri 6562 in opusculo enumerantur cum adnotatione auctoris. anni et pretii quo nunc venales prostant. Index Catalogi est: I Ephemerides et collectiones, II Auctores Graeci, III Auctores Latini, IV Auctores Byzantini, V Auctores Neograeci, VI Auctores Latini medii aevi, VII Auctores Neolatini.

Valère Maxime.— *Actions et Paroles mémorables*, t. I-II; trad. nouvelle de P. Constant, Paris, Garnier.

Qui Latinas litteras amant et colunt plura certe fragmenta in libris sparsa et ex Valerii Maximi operibus excerpta degustarunt, et maxime adulescentes pro quibus plura, quae de morum honestate agunt, aptissima sunt. In his voluminibus totum Valerii opus continetur, adjecta versione Gallica et magna notarum vi. Excellentiores animi et operis ductus Romani Scriptoris, illius praestantia ut morum institutoris ejusdemque in scribendo mediocritas optime a Dno. Constant recoluntur. Textus Latinus reproducit quem cl. Kempf (Berlin) edidit.

F. Santos Coco.— *Lengua latina*, primer curso, *Gramática y Ejercicios*, 2.^a edic. Badajoz.

Nobilis certe scopus plurium Professorum, qui ut alumnorum mentibus facilius grammaticae leges commendent, opera edunt, quae et Latinas litteras apud nostrates foveant. Hanc profecto fuisse mentem et consilium cl. Professoris Fr. a Sanctis Coco haud quisquam audeat negare; illius tamen vere laudan-

us labor et conatus haud multum, ut videtur, litteris et alumnis proderit. — Desiderantur enim in opere et ea accurate, soliditas et firmitas in doctrina tradenda quibus opus est in textibus quae alumnorum manibus et animis volutanda traduntur. Plurima praeterea opus foedant menda, quae haud ita facile typhothetis adscribas, sic: «cuadrigles, cuadingentes, orbs, is=orbe (p. 169), tema *amavi*, *monui* (p. 188 pro *ama-v*, *monu*), arx—(masculini generis), ad rivom cundem (p. 244), et alia similia.

J. M.^a MIR, C. M. F.

Virgile.— *La fille d'Auberge, suivi des autres poèmes attribués a Virgile*. Traduction nouvelle de Maurice Rat, — Garnier. Paris.

Volumen continet *Appendicem Vergilianam* quam vocant, seu carmina Vergilio attributa, de quibus diu multumque quaesitum est num vere essent genuina. Hujusmodi carmina sunt: *Copa*, *Moretum*, *Ciris*, *Culex*, *Aetna*, *Epigrammata*, *Priapea*, *Dirae*, *Elégiae in Maecenatem*, *Inscriptiones*. In capite cujusque poematis disseritur de ejus authenticitate. Adnotationes numero et eruditione tum historica tum litteraria abundat.

Plaute.— *Théâtre*. T. II et III. Texte et Trad. d'après Naudet. Introd. et notes de Henri Clouard. — Garnier. Paris.

Primum volumem Comoediarum Plauti recensimus in nostro commentario (mense Nov. 1635), ad quem lectorem remittimus. Alterum sequentes comoedias complectitur: *Captivi*, *Casina*, *Cistellaria*, *Curculio*, *Epidicus*. In tertio denique reperiuntur *Menaechi*, *Mercator*, *Miles gloriosus*, *Stichus*.

H MARTHA, C. M. F.

Exercitationes Scholares

Latrunculus constanti animo praeditus

I

Quamdam domum est latro ingressus ad supellectilem pretiosam subripiendam; in furto jam cum esset, est a famulo visus, qui domino ad nuntian- dum percurrit, aliosque servos vocavit. Quos cum armatos latro venientes vidisset, tigrinam pellem est indutus armatorumque conspectui apparuit. Quibus perterritis, sese in fugam dederunt; itaque evadere latro cum subrepta supellectili potuit.

LUDOVICUS CLAVER, C. M. P.

Villae Rosarii (in Argentina).

II

Quidam latro domum alienam ingressus erat. Dum pretiosam subreptam supellectilem in saccum introducebat, famulus eum vidit inspiciens per serae foramen portae, et protinus vocavit collegam; uterque fascibus armatus domum ingressus est; at latro, venientes perspicens famulos armatos, se beluae contexit pelle, quae forte ibi aderat. Famulus qui januam reseravit, videns beluam, extimuit, et fasces ob pavorem jaculatus, effugit cum socio. Tunc latro saccum ferens, pellem atque fasces, domo gaudens profectus est.

JOSEPHUS EGUILAZ, C. M. P.

Cervariae.

El papagayo y el necio

I

Huyó de cierta casa rica un papagayo, y se posó en la rama de un árbol bastante frondoso. Cuando hacía un calor abrasador, se echó un necio a la sombra; y habiendo visto al pájaro, sumamente bello, queriendo cazarlo, comenzó a subir al árbol; pero entonces el papagayo, enseñado por su dueño y según su costumbre, dijo: —Dios te guarde, que te vaya bien. Oyendo el otro el lenguaje humano, dijo: —Perdona; te creí ave.

J. EIZAGIRRE, C. M. P.

Aránzazu.

II

Había huído de una casa rica un papagayo y se había posado en la rama de un árbol bastante frondoso. Acércase un tonto a la sombra, pues calentaba mucho el sol; y habiendo visto una ave sumamente bella queriéndola coger comienza a subir al árbol; más viéndole, le dice el papagayo, enseñado por las costumbres de su amo y por el uso antiguo. ¡Salve! ¡bienvenido seas! Oyendo el tonto hablar al ave: perdona, le dice; había pensado que eras un pájaro.

EUTIMIO PAMPLIEGA, C. M. P.

Segovia.

Compositiones vertendae

Autocinetum (1) et testudo

Ad (2) vitam utilibus comparatis (3) commodis
 Sapienter uti est solum sapientis viri —
 Autocinetum florentes terras Aufidi (4)
 Percurrens velox, incauto manu ducis (5)
 Aberrat cursu, praeceps in barathrum (6) ruens,
 Misere confringitur; et vaporis impetu
 Effusi rapido saevas flamas concipit (7).
 Viris absumptis igne; dum comburitur
 Haud longe in prato conspicit testudinem,
 Quae, compulsa metu, quam potest citissime
 Gradu discedit lento; tuta loca petens (8).
 Ad illam clamat: O tua felix tarditas!
 Mihi hunc interitum mea paravit (9) celeritas.

NOTAE; (1) Automóvil. — (2) fin: para. — (3) Que aparecen, recién inventados. — (4) un río de Italia; hoy Ofando. — (5) Chautfeur. — (6) Abismo. — (7) Producir. — (8) Dirigirse. — (9) Proporcionar.

El Míope

Un míope (1) que iba de viaje (2) no sabía el camino. Entreviendo (3) al borde de la carretera (4) un cuervo posado sobre la piedra vertical (5) de un sepulcro, creyó que era un hombre que estaba de pie (6) en aquel sitio, y al punto comenzó a preguntarle el camino repetidas veces. Al cabo de un rato (7) el cuervo voló de allí. Entonces el míope le dijo: Cuando te he preguntado ¿por qué no me has respondido? Ahora pues que el viento te ha llevado (8) el sombrero (9) yo tampoco te lo diré.

(1) Myops, opis. — (2) Iter facere — (3) Conjectare. — (4) Strata. — (5) Oblongus. — (6) Stare. — (7) Post aliquod temporis. — (8) Auferre. — (9) Galerus.

Comestibles, Conservas, Coloniales, Pesca Salada

HIJA DE F. PIJUAN

Drogas, Pinturas, Barnices y Esmaltes

Carmen, 23.—Teléfono, 77.—TARREGA(Lérida)

Prof. Emmanuel Jové, C. M. F.
 Moderator

Typographia F. Camps Calmet. — Tarregas

